



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Explanatio In Psalmos

Complectens Psalmos à 126 ad 150

**Bellarmino, Roberto Francesco Romolo <Heiliger>**

**Dusseldorpii, 1765**

**VD18 15558428-001**

Psalmus CXXXV.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53443](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53443)



loquuntur, ut imagines vivæ Dei viventis, & ideo debent exercere linguam ad laudandum Deum, à quo habent sentire, vivere, intelligere. Invitat autem primò in genere *domum Israel*, h. e. populum Dei; tum per partes, *Domum Aaron*, h. e., Sacerdotes; *Domum Levi*, h. e., Levitas, Sacerdotum ministros; demum *omnes timentes Deum*, h. e. Laicos omnes.

✠. 21. *Benedictus Dominus ex Sion, qui habitat in Jerusalem.*

Concludit orans, ut omnes Cives Sion, & Jerusalem non cessent benedicere Domino, qui Rex magnus est, & in ipsâ Jerusalem sedem Regni sui collocavit; quæ conveniunt Ecclesiæ Christianæ militanti, sed multò magis triumphanti.

PSALMUS CXXXV.

**T**itulus, & Argumentum: *Alleluja.*

*Psalms idem argumentum habet, quod Psalmus præcedens; invitat nempe populum Dei ad laudem misericordiæ Divinæ; & in singulis ✠. ✠. repetit, Quoniam in*  
D 2                      æternum



æternum misericordia ejus; ut ostendat, omnia opera Dei, sive ad creationem, sive ad providentiam, sive ad redemptionem pertineant, non ex necessitate, aut debito, sed ex solâ Dei misericordiâ profecta esse, ut bonitatem suam communicaret.

ψ. 1. Confitemini Domino, quoniam bonus, quoniam in æternum misericordia ejus.

ψ. 2. Confitemini Deo Deorum, quoniam in æternum misericordia ejus.

ψ. 3. Confitemini Domino Domino-rum, quoniam in æternum misericordia ejus.

In his tribus ψ. ψ. laudatur Deus ab his, quæ in se habet; in sequentibus autem laudatur ab operibus suis. Dicitur Deus *bonus*; & quidem absolutè: nec solùm in se bonus est, sed etiam *in æternum misericordia ejus* est: nam ipse, qui est summum bonum, nullum habet admixtum malum, nullam miseriam, & ideo solus potest mala, & miseras aliorum tollere, & tollet in æternum. Illud *Dominus* ψ. 1. hebraicè significat *ipsum esse*; unde ψ. 1. tribuitur Patri, qui est fons essendi, & communicat  
suum



suum esse Filio per generationem, & Spiritui S. per spirationem, Sibi, Filio-que communem. ¶ 2. tribuitur Filio Dei unigenito, qui est Deus Deorum, seu Angelorum, & hominum, qui à scripturâ quidem Dii dicuntur, nempe adoptivi, in se tamen creaturæ sunt. ¶ 3. tribuitur Spiritui S.: dominium enim fundatur in naturâ liberi arbitrii, illi sunt Domini qui faciunt, quod volunt; illi servi; qui aliorum voluntati subjiciuntur. Princeps autem libertatis Spiritus S. est, *Ubi Spiritus Domini, ibi libertas*, 2. Cor. 3.

¶ 4. *Qui facit mirabilia magna solus, quoniam in æternum misericordia ejus.*

Hic, & deinceps subintellige, *Confitemini Domino*. Incipit laudare Deum ab operibus magnis, & mirabilibus, quæ solus ipse facere potuit, ut sunt opera creationis: nam in ceteris usus est Deus operâ Angelorum, vel aliarum creaturarum. In his verò operibus laudatur præcipuè misericordia ejus, quia nihil fecit ex necessitate, quasi egeret creaturis, sed ex misericordiâ suâ magnâ, & ineffabili.



*v. 5. Qui fecit Caelos in intellectu, quoniam in æternum misericordia ejus.*

Primum opus Dei fuit Cælum. Fecit autem Cælum per sapientiam, & bonitatem suam, intelligendo, & volendo, quæ sunt quasi duæ manus ejus. Itaque non laboravit, non fatigatus est, non eguit morâ temporis, non instrumentis variis, non materiâ, circa quam operaretur, non adjutoribus administris. *Quoniam in æternum &c.*, quia placuit ei parare æternam Domum Angelis, & hominibus.

*v. 6. Qui firmavit terram super aquas, quoniam in æternum misericordia ejus.*

Alterum opus principale fuit terra: in hâc triplex cernitur misericordia Dei: una respectu terræ, quam eduxit ex nihilo; altera respectu aquæ, cui sedem stabilem præparavit; tertia respectu hominum, quibus dedit *terram firmatam super aquas*, h. e., aquis discoopertam, & tamen aquis irrigatam, ut possent in eâ degere, eam colere, & frugiferam reddere.

*v. 7. Qui fecit luminaria magna, quoniam in æternum misericordia ejus.*

*v. 8.*



✠. 8. Solem in potestatem diei, quoniam in æternum misericordia ejus.

✠. 9. Lunam, & stellas in potestatem noctis, quoniam &c.

Tertium opus magnum, & mirabile fuit fabricatio Solis, Lunæ, & Stellarum, quæ ad Cælum, & terram pertinent: nam Cælum mirificè exornant, & terræ mirificè profunt, quia lucendo, & illuminando, præsent operibus nostris tum diurnis, tum nocturnis, ut dicitur *Gen. 1.*

✠. 10. Qui percussit Ægyptum cum primogenitis eorum, quoniam in æternum misericordia ejus.

✠. 11. Qui eduxit Israel de medio eorum, quoniam &c.

✠. 12. In manu potenti, & brachio excelso, quoniam &c.

✠. 13. Qui divisit mare rubrum in divisiones, quoniam &c.

✠. 14. Qui eduxit Israel per medium ejus, quoniam &c.

✠. 15. Et excussit Pharaonem, & virtutem ejus in mari rubro, quoniam &c.

✠. 16. Qui traduxit populum suum per desertum, quoniam &c.



ψ. 17. *Qui percussit Reges magnos, quoniam &c.*

ψ. 18. *Et occidit Reges fortes, quoniam &c.*

ψ. 19. *Sehon Regem Amorrhæorum,*

ψ. 20. *Et Og Regem Basan, quoniam &c.*

ψ. 21. *Et dedit terram eorum hæreditatem, quoniam &c.*

ψ. 22. *Hæreditatem Israel servo suo quoniam &c.*

Laudatur hic Deus ab opere providentiæ, & sunt omnia perspicua ex L. Exod. & Ps. 134. Percussio Ægypti, occisio primogenitorum, & Regum &c. sunt opera justitiæ respectu impiorum interfectorum; sed quia hæc intende- bantur à Deo ad liberandum populum suum, illa omnia simpliciter tribuuntur misericordiæ. ψ. 12. *illud in manu po- tenti, & in brachio excelso* significat Deum graviter punivisse Ægyptum plagis mul- tis. ψ. 13. *illud in divisiones,* significat in duas partes. ψ. 15. *illud, & virtu- tem ejus,* significat exercitum ejus.

ψ. 23. *Quia in humilitate nostra me- mor fuit nostri, quoniam in æternum &c.*

ψ. 24.



ψ. 24. *Et redemit nos ab inimicis nostris quoniam in æternum &c.*

Hæc referri possunt ad liberationem Judæorum à servitute Pharaonis, Philistinorum, Nobuchodonosoris; item ad liberationem Ecclesiæ à persecutione Tyrannorum, Hæreticorum; demum maximè propriè ad liberationem Electorum à captivitate Diaboli, & omnibus periculis hujus sæculi. *Per humilitatem* intellige afflictionem.

ψ. 25. *Qui dat escam omni carni, quoniam in æternum misericordia ejus.*

Hunc ψ. addit pro iis, qui non patiuntur persecutionem, ne putarent, sibi non esse necesse confiteri Domino. Ait itaque: *Confitemini*, laudate Deum omnes omnino, quia ipse est, qui nutrit, & conservat omnem creaturam viventem, & præcipuè hominem.

ψ. 26. *Confitemini Deo Cæli, quoniam in æternum misericordia ejus.*

ψ. 27. *Confitemini Domino Dominorum, quoniam in æternum misericordia ejus.*

Concludit repetendo duos ultimos ψ. ψ. ex primo ternario: nam per *Deum*



*Cæli*, ut notat S. Aug., intelligit Deum Deorum. Dicitur *Deus Cæli*, quia ipse solus Deus verus Cælum fecit, & in eo, velut throno suo residens, demonstrat se Deum Deorum esse.

## PSALMUS CXXXVI.

**T**itulus: *Psalmus David Jeremiæ.*

*Hoc titulo caret Hebræus, legitur tamen in Græco, & Latino: nec significat, Jeremiam in Babylone fuisse, sed Psalmum compositum esse à Davide, prævidente, & prædicente captivitatem Babylonicam, quam postea Judæis imminentem Jeremias prædicavit, & præsentem deploravit, & finem ejus post 70. annos futurum denuntiavit. Unde à quocunque fuerit additus titulus, non est rejiciendus, quasi falsam historiam contineret.*

*Argumentum Psalmi est lamentatio captivorum, desiderium patriæ, & prædictio severissimæ animadversionis in Babylonicos, & Idumæos: quæ à Davide scripta sunt, non tam ut simplicem historiam futuram narraret, quàm ut admoneret Hebræos, ut, quando in Babylonem ducerentur*

*tur*